



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

2. Septem considerationes, quæ valent ad cognoscendam magnitudinem gratiæ, in eductione de mundo à Deo receptæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

vt iterum fluant. Cùm eduxisset Dominus filios
 Israel de Ægypto, vbi grauer premebantur: vo-
 luit eos habere tantum beneficium in memoria,
 dicens eis: Memétote diei huius, qua egressi estis
 de Ægypto. Et sæpe eis hoc beneficium in me-
 moriã reducebat. Ego sum Dominus Deus tuus,
 qui eduxi te de terra Ægypti. Non minus bene-
 ficium est, eductio de seculo, per eius cõtemptum
 & religionis ingressum, eductione corporali de
 Ægypto. Vita enim amatorum mundi, illorum
 scilicet qui amant bona mundi, vsq; ad contem-
 ptum Dei, graui seruitute premitur. August. Ma-
 lus tot dominorum seruus est; quot vitiorum.
 Voluptuosus seruus est serui sui, scilicet corporis
 sui, cui obedit, etiam mortem suam imperanti: &
 est valde grauis seruitus ista. Per tria mouetur
 terra: & quartum sustinere non potest. Per ser-
 uum cùm regnare ceperit. Auarus seruus est aua-
 ritia, qui exhibet eum venalem; etiam vili precio.
 Item dicitur de auaro. Hic animam suam venalẽ
 habet. Superbus seruus est vanæ gloriæ, quæ tan-
 tum tributum ab eo exigit; quòd ad eius solutio-
 nem, comitatus, vel ducatus, vel etiam regnum
 non sufficit.

*Septem considerationes, quæ valent ad cognoscendum
 magnitudinem gratiæ, in eductione de mundo, à Deo
 receptæ.*

CAPVT II.

AD cognoscendum magnitudinem gratiæ in
 eductione de mundo à Deo receptæ; mul-
 tum valere possunt septem cõsiderationes. Qua-
 rum

Exod. 13.

Psal. 80.

*Lib. 4. de ci-
 uitat. Dei,
 cap. 3. circa
 finem, 10. 5.*

Pro. 30.

Eccl. 10.

rum prima pertinet ad mundi tenebrositatem. secunda ad eius falsitatem. tertia ad bonorum mundi modicitatem. quarta ad impedimentum maiorum bonorum. quinta ad bonorum mundi velocem transitum. sexta ad mundi cruciatum. septima ad eius periculum. Post septemplicem circuitum ciuitatis Hierico; muri eius coram filiis Israel corruerunt. Et in corde eius, qui religionem ingressus est, ad dictas septem considerationes mundus quodammodo corruit, vt in eum nihil possit: & in comparatione regni cælestis nihil ei sit.

Circa mundi tenebrositatem notandum, quod eius amatores magnas tenebras patiuntur: ideo mundus conuenienter per Ægyptum intelligitur. Ægyptus enim tenebræ interpretatur. Vna plaga Ægypti fuit tenebrarum. Extendit Moyses manus in cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti. Vbicunque verò habitabant filij Israel; lux erat. De tenebris malorum habetur; Via impiorum tenebrosa. In Psal. Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulat. Ipsum enim lumen amatorum mundi, tenebræ sunt: iuxta illud, Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Si lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? Causa harum tenebrarum est, quod oculos suos statuerunt declinare in terram, quæ est corpus obscurum: dorsum habentes ad Deum, vnde est verum lumen. August. in libro Cōfessionum, Dorsum habebam ad lumen: & facies mea non illuminabatur. Item in libro de libero arbitrio. Væh eis Do-

Isaia 59.

*Serm. 4. de
Ascen Do-
mini ante
medium.
Similia ha-
bet 32. mo-
ral. cap. 8.
Iob 5.
Serm 62. In
Cant.*

mine: qui auertunt se à lumine tuo. Ipsi etiam nu-
bem peccatorum suorum sibi & vero soli inter-
ponunt: ideo ab eo non illuminantur. Iniquita-
tes vestrae diuiserunt inter vos & Deum vestrum.
Sicut omnis virtus facit ad cordis illuminationem:
sic omne vitium ad eius obtenebrationem. De
superbia est hoc manifestum, quod est quaedam
inflatio faciei interioris: visum spiritualem im-
pediens. August. in libro Confes. Tumore nimio
separabar à te: & nimis inflata facies claudebat
oculos meos. Superbia est quasi quidam mons,
radios veri solis à corde prohibens. Hic est mons
in quo Angelus clarior syderibus obtenebratus
est. Bernard. Nonne hic est mons, in quem An-
gelus ascendit: & diabolus factus est? Gregorius
de superbis ait: Tanto à luce Dei lōge sunt, quan-
to apud se humiles non sunt. Bernardus: Super-
bo oculo veritas non videtur. De inuidia verò
idem patet: quæ oculos cordis excæcat. Hæc ex-
cæcavit Iudeos. Excæcavit eos malitia eorum. Per
diem incurrēt tenebras: & quasi in nocte sic pal-
pabunt in meridie. Gregorius: Mens inuidi cūm
de alieno bono affligitur, quasi de radio solis ob-
scuratur. Et subdit: Dies boni operis in proximo
lucet exterius: sed quasi in nocte palpant inuidi,
quia liuore cæci aliqua quæ reprehendant, inue-
nire satagunt. Ipsi sunt vt noctuæ lucē bonorum
operum odientes: & tenebrosa opera amantes.
Bona opera proximi sunt vt candelæ: lucem boni
exempli nobis monstrantes, sed inuidi candelis
istis oculos sibi eruunt. De ira idem patet: Impe-
dit enim ira animum, ne possit cernere verum.

Ca-

Caligauit ad indignationem oculus meus. Tur- *Iob 17.*
 batus est à furore oculus meus. Item : Superceci- *Psal. 6.*
 dit ignis : & non viderunt solem. Ignis, inquam, *Psal. 57.*
 iræ. Ira enim excæcatur homo sicut vrsus ad pel-
 uim ardentem excæcatur. De odio similiter pa-
 tet, quòd cor obtenebrat, Bernardus : Amor vel *In tract. de*
 odium, veritatis nescit iudicium. De accidia idè *gradib. hu-*
 patet : quòd dum hominem quasi dormire facit, *militatis,*
 oculos cordis ei claudit. Vsq̄uequo piger dor- *cap. Inqui-*
 mies ? Pigredo immittit soporem. De vitio gulæ *rimus.*
 idem patet : Grauantur enim oculi cordis crapu- *Prouerb. 6.*
 la & ebrietate : & oculi corporis aliquando. At- *Idem 19.*
 tendite ne grauentur corda vestra crapula & e- *Luc. 21.*
 brietate. Cui suffossio oculorum ? Nõne his qui *Pro. 23.*
 morantur in vino : & student calicibus epotadis ?
 Excessum in cibo & potu comitantur fumositates : quæ visum spiritualem impediunt. De ebrietate est hoc manifestum : quod oculos obtenebrat cordis : quæ hominem quasi insanum reddit. Cœperunt furere Principes à vino. Reuera *Osea 7.*
 nihil aliud est ebrietas, quàm voluntaria insania.

De peccato luxuriæ idem patet, cùm amans aliquam fatuo amore, eam credat esse pulcherrimam, quam omnes alij sciunt esse turpè. De peccato auaritiæ & cupiditatis idem patet : Sollicitudine enim temporalium, oculi cupidi & avari velantur : & velatis oculis ad suspendium infernale ducitur. Cùm modicum pulueris terreni visum oculi corporalis impediatur : non est mirum si visus cordis impediatur, in quo per sollicitudinem & inordinatum amorem, multitudo terrenorum recipitur. Tobias excæcatus est calidis *Tob. 2.*

stercoribus hirundinis. Sic ardens amor ad temporalia, quæ Apostolus arbitratus est vt stercora: oculos cordis excæcat. August. in libro Confessionum loquens Domino ait: Spargis pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. Saluator illuminaturus cæcum à natiuitate: lutum posuit super oculos eius: Insinuans causam cæcitatæ spiritualis esse lutum diuitiarum. Vnde habetur de auaro: Vsq̄uequo aggrauat contra se densum lutum? Præterea vbi amor, ibi oculus. Vbi est thesaurus tuus: ibi est & cor tuum. Cupidus ergo & auarus habent oculos cordis in bursa, vel in arca, vel in agris suis, ideo non vident quæ ad salutem animæ suæ pertinent; sicut ille qui oculos corporales amisit, nō videt corporaliter. Oculi sapientis in capite eius: stultus in tenebris ambulat. Oculi stultorum in finibus terræ. Cupidi & auari talpæ comparantur, quæ dicitur habere oculos velatos: Affectus in malis hominibus post se trahit intellectum: secundum illud Psal. Transierunt in affectum cordis. Affectiōem erroneam comitatur intellectus erroneus. Lucerna impiorum peccatum. Vnde cū peccatum sit res tenebrosa; intellectus eorum in peccatis manens errat. De impietate dicitur: Hic est oculus eorum in vniuersa terra. August. Errat, quisquis veritatem se posse noscere putat; si adhuc nequiter viuat. Amatores mundi, & bona, & mala excæcant. Mala: quia per impatientiam eos quasi insanire faciunt. Bona: quia excæcant eos dona, secundum illud: Non accipies munera quæ excæcant prudentes. Xenia & dona excæcant oculos iudicum.

Tantæ

*Joan. 9.**Abac. 2.
Matth. 6.**Eccl. 2.
Pro. 17.**Psal. 72.**Pro. 21.**Zach. 5.**Exod. 23.
Eccl. 20.*

Tantæ sunt tenebrę amatorum mundi; vt seipfos non videant; nec attendant quibus seipfos pascant: vel vbi maneant: vel quo tendant. Seipfos non vident. Putant enim se sapientes, cùm stulti sint: putant se esse magnos, cùm in valore nihil sint. Qui existimat se aliquid esse cùm nihil sit: ipse se seducit. Meliorem partem sui, scilicet animam, cognoscere non videntur, putantes pulchritudinem corporis & ornatum, id est, affectionem sibi sufficere: anima deformi, nuda, & famelica remanente, & ita in vanum videntur animam suam accepisse. Corpus etiam suum non perfectè agnoscunt: cuius non attendunt originem vel finem: vel quod in eo cõtinetur. Si enim eius originem vel finem attenderent; agnoscerent illud esse terram, vel puluerem & cinerem, vel putredinem. In Psal. Sciant gentes quoniam homines sunt. homines scilicet ab humo. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Item ait Abraham: Loquar ad Dominum Deum meum: cùm sim puluis & cinis. Quid superbis terra & cinis? Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus. Si quod in eo continetur, attenderent, saccum stercoreum, illud esse agnoscerent. Gloria impij stercus & vermis. Quibus se pascunt, non agnoscunt; qui prohibitis fruuntur, acquisitis scilicet per vsuram, furtum, & rapinam: quæ quasi venenata sunt eis. Dicitur de avaro: Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris. Vbi maneant, non vident; iustitia enim Dei quam pro bonis minimis contemnunt, gladium euaginatam tenet super capita eorum, quæ eos

*Gal. 6.**Gen. 3.**Ibid. 18.**Eccl. 10.**Iob. 18.**Mach. 2.**Eccl. 5.*

occideret, nisi Dei misericordia expectans eos ad pœnitentiam, hoc prohiberet. Fugite à facie gladij, quoniã vltor iniquitatis est gladius. Quo tendant nō vident, quia velatis oculis ad patibulum infernale ducuntur. Gregorius: Qui presenti suauitate capitur, quasi per amœna prata ad interitum ducitur. Et notandum quod cœcitas amatorum mundi in multis differt à cœcitate corporali. Cœci enim corporaliter, cœcitatem suam licet nō videant, tamē de illa dolent: illuminari cupiunt: & ducem quærunt. Amatores verò mundi cœcitatē suam (spiritualia enim postponentes, voluptates mundanas exoptant) non agnoscunt, & ideo ab illuminatione remoti sunt. Vidisti hominem sibi sapientem (sapientia videlicet mundi) videri? magis illo spem habebit insipiens. Ipsi cœcitatē suam loco in quo sunt attribuunt, sicut refert Seneca, de quadam fatua relicta sibi ab uxore sua, quæ visum amiserat; & domui in qua erat imputabat, quòd non videbat: petens se transferri ad alium locum. Sic amatores mundi vitia sua non agnoscunt: & aliter neminē in isto mundo posse viuere asserunt. Cœci corporaliter multum de cœcitate sua tristantur: vt patet ex verbis Tobix dicentis: Quale gaudium mihi erit: qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? Amatores verò mundi de miseria cœcitatē suæ non dolent: & ideo sunt miserrimi. August. Quid miserius misero, non miserante seipsum? Cœci corporaliter illuminari multum desiderant. vt patet de cæco illo, cui cum dixisset Dominus: quid vis faciam tibi? Illuminationem præ omnibus elegit, dicens:

Pro. 26.

*Epist. 51.
paulo à
princip.*

Tob. 5.

*Lib. 1. conf.
cap. 13. to. 1.*

Ioan. 3.

1530

dicens:

dicens: Domine vt videam. Amatores verò mū-
 di lucem odiunt: & prædicationem qua illumi-
 nari possent, fugiunt. Qui malè agit, odit lucem.
 Ipsi ducem non quærunt. Seneca: Cæci ducem
 quærunt, & nos sine duce erramus. Errauerunt
 cæci in plateis. Amatores mundi tenebras dili-
 gunt: & ad tenebras infernales vadunt. Hoc est
 iudicium (id est, causa iudicij seu damnationis)
 quia lux venit in mundum, & dilexerunt homi-
 nes magis tenebras quàm lucem. Qui de mundo
 ad religionem ordinatam transit, de loco tene-
 brarum ad locum luminis transit vel vadit: vbi
 remota terrenitate per paupertatem spiritus, fu-
 gata nube peccatorum à vero sole, meditatione,
 lectione, oratione illuminatur. Ad illuminatio-
 nem etiam operantur actus luminosi, scilicet ex-
 empla virtutis, quæ in fratribus conspiciuntur:
 Luceat lux vestra coram hominibus: vt videant
 opera vestra bona.

*Tren. 3.**Ioan. 3.**Matt. 5.**De falsitate mundi.*

CAPVT III.

Circa falsitatem mundi notandum, quòd
 mundus est falsus & fallax: & non inueni-
 tur in eo veritas. In Psalm. Non est in ore eorum
 veritas. Non est veritas, & non est misericordia,
 & non est scientia Dei in terra. Non inuenitur in
 eo fides, nec vera amicitia. Virum fidelem quis
 inueniet? Sapiens. Id primum sentio: nisi in bonis
 amicitiam esse non posse. Quomodo amat alium
 qui non amat seipsum? In Psal. Qui diligit iniqui-
 tatem: odit animam suam. Qui sibi nequam; cui
 bonus

*Osea 4.**Pro. 20.**Eccl. 14.*

A 5

bonus